

05

A

948

IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,
DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
Generatim consideratis.

DISPUTATIO II.

De

**RELIGIONE
CHRISTIANA, QUOD
ILLA SOLA SIT VERA ET
CAPESSENDA.**

Quam

ALTISSIMO ADSPIRANTE

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Th. D. & Profess. publ.

Placidā ovētōz ventilandam exhibet

CHRISTIANUS KÖCKERT,
Lübecens. Saxo.

*Ad diem 10. Augusti horis pomeridianis,
in Auditorio minori.*

WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXV.*

DE EIGENHE

DOMINA

TE



05 A 942

10.10.1983

DISPUTATIO II.

De Religione Christianâ, quod illa sola sit vera & capessenda.

NON plane insulsè flos illibatus populi, Suadetq; medulla Tullius scriptum reliquit, Deos (Deum voluit dicere semper būc errarunt Etrnici) qnā mente, quā pietate quisq; colat religionem, intueri. Religione enim vita constat. Cūm vero omnes religione moveantur, sua autem cuiq; optima videatur, ut que non ratione sed affectu dijudicetur. à singulis, nostrum est, qui Christiani audimus, sedulō caverem, ne pro dōxyn Rom. 12. v. 1. falsam, Jer. 8, 5. pro purâ & immaculatâ, Iac. 1, 26. vanam doctrinam Jer. 10, 18. vel ipsis arripiamus, vel ab aliis obtrudi nobis rerum ignaris patiamur. Etenim ut est in proverbio: Religionem non quo nos volumus, sed quo nos ducit, sequi debemus. Quid? quod vel sexenta scriptura monita ex falsis veram religionem esse diligendam serio pricipiant. Inculcat hoc Christus Matth. 7, 15. & cap. 24, 25. & 26. Paulus Philip. 3, 2. Johannes 1, Ep. 4, 1. ubi jubemur dominicae cœli trivulca. Quibus abortationibus locum relicturi ex omnium religionum censu illi demum palmam damus, qua Christiana appellari censuerit. Huc igitur uberiorem considerationem priori Generali de Religione Disquisitioni per Dei omnipotentis gratiam jam nunc subjungemus.

Anne summe Deus nostris precor annue cæptis
Te non dante labor noster inanis erit.

A 2

TEHO.

THEOREMA I.

Velut Christiani, sic Christiana Religio à solo Christo, tanquam ab autore primo, nomen habet, licet postea etiam alias quoq; denominationes aliis respectibus conseqatur.

Ezeynois

Christianæ Religio Primariam denominationem à solo Christo accepit, tanquam ejus Autore primo, cui hic honor debetur propter primam institutionem, propagationem, illustriorem manifestationem, confirmationem. Quis enim in Paradiso primus primis parentibus hanc doctrinam proposuit? Christus? Gen. 3. 15. confer Chaldeum Paraphrasten in eod. c. 3. v. 8. ubi expressa est vox Meimera seu τὸ λόγος. Quis eandem per Prophetas Sanctos Dei homines Spiritu Dei actos propagavit? Christus Hebr. 1. v. 1. Luc. 2. 70. Quis viam Dei in veritate docuit? Christus. Matth. 22. v. 16 Heb. 1. 2. Matth. 4. 20. Joh. 1. 18. Quis Apostolos religionis orthodoxæ præcones in omnes mundi angulos, remotissimasq; terrarum oras ablegavit? Christus Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Quis deniq; divinis divinam doctrinam stabilivit miraculis? Idem Christus Joh. 3. 2. Marc. 16. 25.

Neq; tamen ita solus & primus author statuitur Christus, ut prima & tertia Trinitatis persona, Pater scilicet & Spiritus Sanctus excludantur. 1. cum ab inclusione unius ad exclusionē alterius non valeat consequentia, ut vulgatum axioma Logicorū habet. 2. cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa, ad quam operum divinorum classem totum Religionis Christianæ negotium referendum esse, quis nesciat? 3. cum in operibus ad extra & respectu creaturarū, quando nominatur tantum una persona vel duæ tota Trinitas intelligatur juxta observationem Chemn. in L. C. p. 1 p. 98. 4. Cum Religionis Christianæ & Pater & Spiritus Sanctus autores salutentur in sacris literis. *Sermo enim quem audistū, non est meus, sed ejus, qui misit me.* PATRIS inquit Christus Joh. 14. 24. confer ejusdem cap. v. 10. & II. *Spiritus Sanctus est, quo impulsore agitati sancti viri, Prophetæ scilicet locuti sunt.* 2 Petr. 1. 21. *Spiritus Sanctus est, qui prænuntiavit in Prophetis passiones Christi.* 1 Pet. 1. II. Atq; hæc primaria hujus appellationis, qua Religio Christiana talis dicitur, est ratio. Secundaria hujus Denominationis causa potest desumiri. à Materia. & r. quidem Subjecto inhaerentis, qui est Christianus populus, qui induit Christum ejusq; particeps ac imitator est, h. e. *verè Christiana, Catholica atq; orthodoxa Ecclesia,* in qua sola

101a et vera Religio cum ipsa sola sit in manu columnam gravitatem
veritatis 1. Tim. 3,15. 2. Objecto principali seu Speciali quod Christus cui uni nos religio religat, quia inter mentem nostram, quam illum intelligimus & veritate id est lucem interiorē per quam illum cognoscimus, quaquam illum colimus, nulla interposita creatura est. Christus enim est, de quo testantur scriptura Joh. 3,39. 4. de quo Moses scripsit in lege & Propheta vi. Cor. 2,2. 2. Forma, quā cōsistit tum in omnimodā cū Christi doctrinā vivā voce tradita conformitate tum in exacto omnium fidei articulorum systmate. 3. Fine qui hic est, ut credamus quod Iesus sit Christus ille filius Dei, & ut credentes vitam beatam per nomen ipsius Joh. 20,31. 4. Effectu, quia homines efficit Christianos, / ex Ethnicis Christo addictos seu fideles, Christo constanter adharentes. 1 Act. 11, 25. 26.

Polan. lib. 9
Syntag. c. 1.
4 Act. 19.
v. ult.

3. Eadem Christiana Religio habet alias quoq; appellations, quæ tamen omnes secundariæ sunt, aliosq; ob respectus eidē assignantur: Dicitur n. Religio Vera 1. respectu oppositionis quatenus opponitur i. falsa Sap. 4, v. 11. & falsitati Jerm. 8, 5. vanitati Ps. 24, 4. & 31, 7. 3. mendacio Jer. 20, 7. Somnij. Jer. 23, 28. cuiilibet errori seu mīcos & mītis. 2. Th. 2, 10. 2. quia veritas est. Joh. 17, 18. 2. Th. 2, v. 10. 3. quia firma & stabili Ps. 93, 5. imō βεβαίοντες λόγος 2. Pet. 1. v. 20.

2. Appellatur Sana 1. Tim. 6, 3. 2. Tim. 1, 13. metaph. ducta à medicis quibus valetudo recuperata post Deum accepta fertur. Sana autem vocatur ratione sui ipsius: quia utilis est ad docendū ad arguendū ad corrigendū, ad erudiendum in iustitiā 2. Tim. 3, 17. 2. respectu nostri quibus sanitatem spiritualem confert. Etenim neq; herba neq; malagma sanavit eos sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Sap. 16, 12.

3. Nuncupatur Munda & Immaculata Jac. 1, 27. partim ratione subjecti, apud quos deprehenditur, qui sunt mundi corde Matth. 5, 8. quiq; à mundo se illibatos servant Jac. 1, v. ult. 2. partim effecti, nempe purificationis Ps. 19, 11. & 12. 4. Dicitur & Catholica quod eā nō unus aut alter cātus sed tota Christianorū multitudo omnes omnino fideles, ubi cunq; terrarū vivant, uno ore constanter profiteantur. 5. Orthodoxa vocatur, quo sensu opponitur heterodoxa, quæ dogma quoddā peculiare & scripturis vel omni vel aliqua ex parte adversum spargit. Tantum de Synonimis Christianæ religionis, præcipuis, quibus addi possunt alia Religionis veræ attributa, quæ cum in genere Religioni assignata extent in priori proximè præcedēti disputatione, huc ad Christianā Religionē in specie facile accōmodari possunt.

A 3

3. Cate-

4. Ceterum ad Regnum Christianum
rum facere videtur uberior exactiorq; nominis Christiani cogni-
tio. In eo igitur cum primis consideranda sunt i. ejus derivatio
& significatio. Vox Christianus sive χριστανὸς quoad originem.
suam non est Latina sed Græcanica, derivaturq; non ἔπος τῷ
χεῖρᾳ quod est uti, siniti Justino videtur. Apol. 2. illud enim semi-
per scribitur per iota hoc per Χρ.: neq; à christmate ut censem Bar-
radius l. 9. Conc. Evang. c. 2. Sed à verbo χριστῷ quod est ungere
item pungere unde fit passivum χρισθαι ungor hinc oritur verba-
le nomen χριστὸς idem quod unctus, cui respondet Hebreum
תְּשִׁיבָה à radice תְּשִׁיבָה unxit. A verbali χριστὸς porro fit χριστανὸς
Christianus qui se Christi discipulum profiteatur & à Christo se de-
nominat. Unde & Christiani uncti Dei appellantur Psal. 105. 16.
2. Appellationis ratio. Ab Imperatore suo peculiare olim mili-
ties sortiebantur nomen. Pompeii enim castra qui sequebantur,
Pompeiani, à Cæsaribus partibus qui stabant Cæsariani diceban-
tur. Dux sacræ & spiritualis militiae est Christus Apoc. 12. ille so-
lus est אֵשׁ מַלְכָה מִצְרָיִם: Exod. 15. 3. apud hunc stipendia merere ce-
pimus quando baptismatis lavacro tinti sumus. Unde etiam me-
ritum ab hoc ducere Christiani cognomen duximus. Quemad-
modum vero Christi nomen est nuncupatio potestatis & regni teste
Lactantio lib. 4. d. v. cap. 1. 7. Sic Christiani titulus Christum in-
volvens & à Christo derivatus summam innuit excellentiam &
potestatem. Ut enim ille, Christus inquam, unctus est à Patre,
præ consortibus Psal. 45. 8. ita nos uncti sumus, ab hoc uncti, cum
consortibus. Ut in V. Test. Reges, Prophetæ & Sacerdotes un-
gebantur, & præter hos supremi ordinis homines nemo in un-
ctionis hujus consortium admittebatur, sic nos qui Christiani
seu spiritualiter uncti sumus, Christo acceptum ferimus, quod
sumus regale Sacerdotialium i Pet. 2. 9. Reges & Sacerdotes coram Deo &
Patre ejus Apoc. 1. 6. De hac vero Christianorum præstantiâ cum
luculenter elegantissimeq; differuerit Cl. Rev. & Excellentissimus
Dominus Præses, Patronus & Præceptor meus semper honoran-
dus, in oratione suâ, quæ inscribitur Christianus, memor ero vete-
ris effati, Manum de tabulâ, nec noctuas Athenas feram. 3. Usur-
patio, usurpatur hæc vox vel in bonam partem, tum in Sacra

Scriptu-



Scriptura Act. 11, 25. Act. 26, 28. I. Petr. 4, 16. tum in Ecclesiasticis juri-
toribus. B. Augustinus Christum ita compellat vocasti me nomine
tuo, signasti me sanguine tuo, unxisti me oleo tuo, de quo tu unctus fuisti,
ut a te Christo diceret Christianus August. in soliloq. cit. Cam. cent. 3.
c. 4. Apertius Athanasius in orat. contra Arrianos. Nunquam
populus Episcoporum suorum, sed Domini, in quem creditam fuit,
nomen usurparit. Certe non a beatis Apostolis praceptoribus nostris mini-
stris, Evangelii Servatoris nostri nomenclationem, adepti sumus sed a
Christo Christiani. sumus & perhibemur. Laetantius d. ver. sapien-
tia in fine lib. 4. Christiani esse deserunt, qui Christiano nomine amissi
humana & externa vocabula induerunt. Vel in malam partem
apud Ethnicos. Nero enim Anno 14. Imperii sui rale edictum
edidit: Quisquis Christianum se esse confiteretur, is tanquam ge-
neris humani convictus hostis sine ulteriori sui defensione, ca-
pite plectitur. Si Tiberis ascendit in mena; si cœlum stetit, si terra mo-
rit, si fames, si lues, statim Christianus ad leonem acclamatur. Tertullia-
nus citatus a Camer. c. 39. cent. i. vide hujus generis pluri. apud
Camer. dist. c. 39. & cent. 3. c. 1, 2, 3.

4. Hic pulchra datur occasio differendi de ardua illâ Quæ-
sione. Possetne religio ab homine denominari? Resp. Nomina
ab hominibus interdum assumere licet; non tamen eō fine, ut hos
ipsoꝝ, & quibus denominatio petitū, solos primosq; fidei & ve-
ritatis inventores & inceptores statuamus; sed ut pretiosum a vili
separemus, Jer. 15. v. 10 hoc est, nostræ religionis socios ab alterius
fidei & confessionis assecilis sejungamus. Quanquam autem
hoc male habet Calvinianos, magis Christianorum quam Cal-
vinianorū titulum adfectantes, nimirum ut hac generali appella-
tione ceu pelle ovinâ incautos facilius decipient, exemplo tamen
& autoritate eorum minimè adduci possumus, ut priorem opini-
onem deseramus, quæ sat multis stabilitur rationibus. 1. Ete-
niam apud Esai. 44. 5. homines N. T. vocantur alii nomine Jaco-
bi alii nomine Israelis, quod tamen nullibi improbari, sed potius
loco dicto approbari cernimus. 2. Quis nescit Israelitæ veri
nomen a Christo inditum esse Nathanieli Joh. 1. v. 47.? 3. Non-
ne vero D. Paulus fideles, quibus Christiani nomen in baptisma-
te jam ante fuerat impositum, nuncupat Abraham filios? Gal. 3. 7.
4. Nonne idem Apostolus semetipsum vel jam conversum dicti-

tat?

tat Pharnæum, Acto. 23. 8. 5. Quid deinceps dicendum, qui ob di-
sortionis quod à fana doctrinæ fecerat. Nicolaitæ a Spiritu Sancto
appellantur. Apoc. 2. 6. 6. Quid? quod primitiva Ecclesia suo
quamlibet hæresi peculiari nomine insigniverit? Ergo quod
CHRISTO, quod Paulo, quod primæ Ecclesiæ distinctio-
nis gratiâ facere licuit, nobis in re simili facere non sit lici-
tum?

Breviter distinguimus inter nomen *Confessionale* & *magistrale*
(ut ita loqui fas sit) hoc, quod petitur ab homine tanquam fidei
magistro, negamus ulli mortalium competere, freti effato Paulino
z. Cor 3, 13. Illud, quod distinctionis ergo desumitur ab homine,
velut fideli ministro, ejus, cui addicti sumus confessionis, omni-
nò tolerari posse judicamus. Sed ne soli faciem allucere videar,
ablegandos puto eos, qui uberiori hujus controversiæ cognoscendæ cupiditate ducuntur, ad eruditissimum. Ad. Reverendi Clari-
ris. Excellentissimiq; Dn. Dn. Balduini, Præceptoris Fautoris
Promotorisq; mei pl. colendi commentarium super i. Eplam.
ad Corint? c. 1. part. 2. qnæst. 3. consulatur insuper Calvinismus Gi-
senii Disp. 1. Thes. 9. & q. 3. Hæc de Theoremate I.

THEORMA II.

*Religio Christiana est doctrina, à Christo ipso proposita,
per Apostolos propagata, quæ Deus recte agnoscitur & colitur,
ut vitam eternam consequamur.*

Definitio hæc constat Genere & causarum enumeratione.
Genus hoc, est doctrina. Non enim religio Christiana est nata
quædam lex quam non didicerimus, acceperimus, legerimus, sed
ex natura ipsa arripuerimus hauserimus expresserimus, non: ve-
rum in sacris literis ejus cognitio deprehenditur, ad quas pervol-
vendas eapropter à Christo ablegamur. Joh. 1, 39. Causa effi-
cientis hic datur & principalis, quæ Christus. Ille enim tum in
paradiso, tum in diebus carnis sua, hanc nobis enarravit. Joh. 1, 18
& minus principalis seu Instrumentalis nempe Apostoli, qui
partim voce partim scriptis doctrinam hanclonge lateq; dissem-
inarunt, qui exixerunt & predicatorum ubiq; locorum, Domino coope-
rante

orbis terræ verba eorum Rom. 10,18. qui loquuti sunt inspirati a Spir. S.
2. Pet. 1,21. Non tamen est, quod quisquam putet ita dici Aposto-
los propagatores Relig. Christianæ: ut hujus laudis Socios ha-
beant nullos Prophetas Ver. Testam. sanè hunc sibi meritò ho-
norem vendicant cuius rei illustre documentum præbet vel solus
Elias, cujus singularis celebratur industria ac Zelus in repurgan-
da à fermento Baalitico vera doctrina quam etiā de meliori nota
populo commendavit ut videre est r. Reg. 18,12. & seq. Sed cum
hæc a Prophetis instituta propagatio intra Judææ regionis limites
ordinariè se continuerit, nec ultra sit progressa, Apostoli contra
totum orbem veritatis cœlestis præconio repleverint, meritò his
propagationis hujus primatus defertur. Materia seu objectum
principale est D E U S unus in Essentiâ & triinus in Personis,
1. Joh. 5, 8.

Forma consistit in duobus r. agnitione Dei, cui Christus
ipse tribuit vitam eternam Iohann. 17,1. que est perfecta justitia & ra-
dix immortalitatis Sap. 15,3. per quam multi justificantur Esa. 53,11.
2. In cultu Dei Agnitio enim Dei non oportet sit duntaxat theo-
retica, sed cumprimis practica, quare ad eam cultum Dei ac-
cedere necesse est. Nam scriptum est. Dominum Deum tuum a-
dorabis & illum solum coles. Matth. 4,10. Non in verbis sed in factis
res nostræ religionis consistunt iuquit Justin. Hæc si sciveritis, beatissi-
ficeritis, dicit salvator. Iohann. 13,17 vide r. Cor. 13,1. Finis est con-
sequitio vita æternæ. Pietas enim ad omnia utilis est, habens promis-
sionem, hujus & futurae vita r. Timoth. 4, 9. hic est finis fidei vita eter-
na r. Petr. 1, 9. Etenim ut nauclero portus, in stadio currenti-
bus meta, militi victoria proposita est, sic Christiani
omnia consilia actionesque ad vitam referunt
beatiorem.

*Tendimus buc omnes metam properamus ad
unam.*

B

THEO-

THEOREMA III.

Precipui Christiana Religionis articuli ratione objectorum concernunt vel DEUM, vel angelos, vel hominem.

Hæc est generalis distributio Principalium articulorum Christianæ Religionis. Ut autem hæc paulo uberioris & in specie explicentur, sequentia notanda sunt capita. 1. De DEO docent Christiani esse aliquem Deum, eumque esse Essentiam spiritualem, æternam infinitam, veracem, omnipotentem, iustam, sapientem, omnipræsentem, Patrem æternum, qui ab æterno genuerit Filium, & Filium, qui est imago Patris, & Spiritum sanctum, ab utroque procedentem. 2. Eundem unum in Essentia & Trinum in Personis Deum liberrimâ voluntate, omnes res, quæ factæ sunt, optimas creasse, ut à creaturis præsertim ab honore eius bonitas celebaretur. 3. Ab eodem omnes res creatas conservari & gubernari, & præcipue pios à Deo curari. 4. Deum benevolo erga homines affectu impulsu, voluntatem essentiamq; suam nobis patefecisse in Sacra Scriptura, unde omnia, quæ ad salutem nostram æternam necessaria sunt, sufficienter petere possumus.

De Angelis docet Christiani, esse illos creaturem seu Essentias spirituales, à creatore Deo in bonitate & veritate, excellenti intelligentiâ & virtute conditas, ut creatorem celebrant, hominibus inserviant & æternâ felicitate stuantur. Eorum autem multos in concreta veritate non stetisse, sed liberâ voluntate deficientes. Deique hominumque hostes factos, æternis vinculis ad judicium reservari.

Hominem quod concernit. 1. Credunt Christiani, eundem esse ad imaginem Dei conditum in sapientiâ mentis, rectitudine voluntatis, & ordinatâ moderatione appetitus, idq; factum in *Statu Integritatis*, verum postea imaginem Dei congenitam, per peccatum in Paradiso admissum amissam esse unde sequuta est cæcitas mentis, propensio voluntatis ad malum & ðraçia appetitus.

2. Autorem peccati, ab Adamo commissi, non esse DEUM, sed Diabolum esse causam προκαταρκτικήν, hominis vero liberū arbitrium.

posteros Adami penetrasse Rom. 5. Unde velut ex malâ radice
multa peccata actualia hodiè oriuntur. Idque pertinet ad secundum
statum hominis videlicet *Lapsus*.

3. Docent porro, Deum omniscium providisse hanc futu-
ram imaginis amissione jaëturam, Itaque cum hominem in æter-
num perire nollet, inde ab æterno paternum consilium de huma-
ni generis per Christum instituendâ reparatione iniisse, Illud consili-
um vero absolvitur 3. membris 1. Misericordia Dei, Patris erga
totum humanum genus. 2. Merito Christi pro omnibus homini-
bus, 3. Universali verbi ministerio in quo per Spiritum Sanctum
omnes homines vocantur. 4. Dicunt etiam Christum ve-
rum Deum & æternum Dei filium, in tempore, propter salutem
nostram, ex Maria virginе humanam naturam assumpsisse & ita
 $\tau\acute{e}\lambda\epsilon\iota\sigma\eta\theta\acute{e}\delta\acute{\eta}$ $\eta\tau\acute{e}\lambda\epsilon\iota\sigma\eta\alpha\eta\theta\acute{\eta}$, in unâ Personâ existere, & constare
duabus naturis, divina & humana, $\delta\acute{o}\gamma\chi\acute{u}\tau\omega\zeta$, $\delta\acute{t}\acute{e}\acute{m}\acute{\eta}\omega\zeta$, $\acute{a}\acute{d}\acute{i}a\acute{q}\acute{e}\tau\omega\zeta$,
 $\acute{a}\acute{c}\acute{x}\acute{a}\acute{p}\acute{i}\acute{s}\acute{w}\acute{c}$, unitis. 5. Eundem triplici officio fungi. Pro-
phetico Sacerdotali & Regio.

6. Fidem porro esse medium, quo Christum apprehendimus
& salutem consequimur. Hanc autem constare i. notitia omni-
um articulorum fidei. 2. assensu 3. & fiduciâ ex Evangelicis pro-
missionibus de gratuitâ remissione peccatorum ortâ. 7. Duas
esse partes doctrinæ Christianæ, Legem & Evangelium. Illam
facienda, hoc credenda proponere. 8. Huius doctrinæ utrius-
que praxin esse pœnitentiam, quæ constat Contritione & fide,
quam sequitur Nova obedientia. 9. Hanc autem pœnitentia
reperiiri nusprium nisi in unâ sanctâ Catholicâ & Apostolicâ
Ecclesiâ, quæ est cœtus amplectentium verbum Dei & utenti-
um Sacramentis, à Deo institutis, quibus Christo capiti inserun-
tur, regenerantur & post multas tribulationes, pro quibus aver-
tendis Deum orant, glorificantur. 10. Sacraenta sive sigil-
lagratiam conferentia N. T. esse duo: unum Initiationis videli-
cet Baptismum, Alterum Confirmationis, videlicet Cœnam Do-
mini. 11. Justificari hominem gratis universalis Dei patris gra-
tiâ, merito Christi, & fidei in Christum, per Spiritum Sanctum

accensā, Quæ omnia pertinent ad itatum y. *reparationū*. Sequuntur
quartus *status post mortem*. Hic 1. Fatientur finem esse & vitæ huma-
næ & omnium rerum, Illum dicunt mortem corporis (anima e-
nīm. quæ non cum corpore sepelitur, est immortalis,) hanc vo-
cant Novissimum diem. 2. Litabum Patrum, ac Purgatorium,
ut & eam quæ pro animarum ex inferno liberatione tum ad san-
ctos defertur tū ab ijsdē instituitur orationē pro ridiculo & inani
terrificulamento habent quin potius statuunt post confirmatio-
nem seculi extreum futurum esse judicium, ubi omnes coram
tribunali Christi constituetur & reddenda erit omnibus ratio
de dictis factis cogitatisque, & qui bona egerunt, resuscitatis, a-
nimā iterum donatis, glorificatisque à Christo corporibus, ibunt
in vitam aeternam qui vero mala in ignem æternum. Hæc bre-
vis summa est potissimum Christianæ Religionis Articulorum.

THEOREMA IV.

*Sola Religio Christiana est vera id quod demonstrari
potest argumentis & numero plurimis & robore firmissimis.*

Certitudinem & veritatem Christianæ Religionis varie
variis probant. Præstítit hoc Flacius p.2. Clav. tract. 7. Morneus in
lib. d. ver. relig. Christ. c. 20. Didericus in L. de Scriptura Hunnius in
libr. de Majestate Scripturæ aliquæ ferè innumerabiles, qui o-
mnes dum scripturæ autoritatem (id quod plerique fecerunt)
probatam dederunt, etiam Religionis Christianæ confirmarunt
certitudinem cum hæc ab illâ dependeat. Ut autem brevitatē
studuisse videar, ex tanto tot argumentorū cumulo ea duntaxat
in præsentiarum diligere, & delibare placuit, quæ potiorem vim
habere videntur.

I. Argument. *A religioni Christiana plusquam humana & planè di-
vina persuasione. Syllogismus hinc emergit talis. Cujus religionis
planè divina datur persuadendi ratio & modus, ea est vera. Chris-
tianæ religionis datur planè divina persuadendi ratio & modus.
E. Major per se licet. Ut enim subitanus facilisque voluntatis
consensus & approbatio rerum humanarum est. Sic divina per-
suasio mysteriorum credendorum, arguit, in ijs plusquam huma-
nam.*

naturae latere virtutem ac excellentiam. Minor confirmatur 1. modo
illo, quo in orbem vera introducta est religio. Nam à patetissimis
hominibus (nulla neque humana eruditione eloquentia que
structis nec vi armatis & præterea eiusmodi res docentibus, quæ
magnâ ex parte hominum voluntatibus atque adeo ipsi carni
repugnant) plurimi sapientissimi una vi veritatis, Domino co-
operante, eò adducti sunt, ut errorem patrium confirmatum ab
ipsa temporis diurnitate desererent, & Christianam doctrinam amplectenter. Quod sanè naturaliter absque aliquâ vi
majore & planè divinâ nullo modo fieri potuit. 2. testifica-
tione Augustini qui lib. d. ver. relig. c. 3. talen singit casum. Si
priusquam Christianam Religionem mundus complectetur,
sapientium Philosophorum aliquis interrogatus esset, utrum
censeret, sine virtute divinâ per unum paucosve homines, nul-
li potentiâ aut doctrina excellentes, persuaderi mundo illa pos-
se, quæ Christum & Apostolos persuasisse iam cernimus, Re-
spondet credo ille (inquit Augustinus) non posse hoc ab hominibus fie-
ri, nisi ijs, quos ipsa Dei virtus atq[ue] sapientia commendasset, ut o-
mnia contempnendo, quæ pravi homines cupiunt & omnia perpetiendo,
quæ horrescant, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore
atque autoritate converteretur. 3. teste Scripturæ. Cor. 2, 4.
Seismo meus non in persuasilibus humanae sapientie verbū sed in Osten-
sione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed
in virtute Dei.

2. Argum.

2. a materia religionū Christianæ plane divinā. Argu-
mentum hinc oritur eiusmodi. Quæcumque religio. 1. ea
dogmata proponit, quæ ita ardua ac difficilia, ut omnem ra-
tionis captum excedant. 2. vaticinia de futuris rebus certissimo
eventu comprobata continent, ea sola est verissima.
Christianæ est talis. E. Major est certa. Nam 1. cùm mul-
ta rerum naturalium à priori cognoscantur, rerum contra crea-
tendarum præsertim vero mysteriorum divinorum ea sit diffi-
cultas, ut à priori nullo modo cognosci queant, certè hæc ipsa
religionem Christianam eximit à conditione rerum humana-
rum.

2. Vaticiniorum per oī manūs p̄dictio p̄hat alijs p̄t
num. quod constat ex Es. 43. v. 9. Minor stabilitur quoad prius
membrum inductione mysteriorum divinorum, ex quorum ma-
gno numero duo tantū adducere libet. Prius est de Trinitate Per-
sonarum & unitate Essentiæ in Deo qui habitat in luce inaccessibili,
quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. 1. Tim. 6. 16. Joh. 1. 18.
Exod. 33. 20. Alterum de Christo θεανθεόπω, quod ὁμολογουμένως
μέγα δέ τὸ τῆς εὐρεσθέας μυστήριον vel Apostolo teste 1. Tim. 3. v.
16. Posterioris minoris membrum constat vel ex unicâ de Christo
in carnem venturo p̄dictione quâ de Esaias c. 7. vaticinatur,
qua eventum sortita est teste Luca c. 2. 7.

3. Argumen-
tum.

3. Ex aptâ harmoniâ & perfectione Religionis Christianæ. Prodit
hinc argumentatio talis. In qua Religione deprehenditur 1. con-
venientissima harmonia. 2. fidei & morum nec non veritatis con-
firmandæ, falsitatis refutandæ perfecta norma, illa est vera Reli-
gio. Christianæ Religioni utrumque competit. E. Maioris pri-
ma probatio hinc fluit, quia pulcherrimus religionis ordo evin-
cit ab eo illam constitutam esse. qui non est Deus confusioñis. 1. Cor.
14. 33. Secunda inde desumitur: quod res omnibus numeris abso-
luta ac perfecta non nisi à Deo profiscatur. Homines enim in
multis offendunt omnes Jac. 5. 2. ex parte cognoscunt 1. Cor. 13. 9. Diabolo-
lus est spiritus mendacij 1. Reg. 22. 22. in veritate non stetit & veritas non
est in eo, cùm mendacium loquitur ex proprijs loquitur, quia mendax est
& pater mendacij. Calites seu Angeli boni non sunt mundi in con-
spectu Dei Job. 14. 15. Cùm igitur, neque ab hominibus, nec à Dæ-
mone, nec à bonis angelis perfectio tanta oriri potuerit, relin-
quitur eius unica causa Deus, qui perfectus est Matth. 5. 48. cuius per-
fecta est sapientia Job. 1. 7. Minor confirmatur, & mutuo con-
sensu partium doctrinæ tum inter se tum cù utriusq; Testamente
Canone, & perfecta instructione homini ad omne bonum opus 2. Tim
3. 17.

4. Argumē-
tum.

4. Ab Effectu Religionis Christianæ. Syllogismum hinc fabico-
talem. Illa doctrina, cuius est admirabilis vis in alliciendis demul-
cendisque hominum animis, est vera Religio Christiana est ta-
lis doctrina. E. Major est manifesta, quia docet hoc satis calamis-
tosorum

toforum nominum consolatio, qua nō aliter in humana & mortali
est Job. 16,2. Reperere hoc suo exemplo Jacobi filij filia & que: Fru-
stra enim parentem filiolū sui Josephi obitum afflīctum lugentem
consolati conabantur. Gen. 37,35 Minor patet tūm ex Scripturā
testimonijs 2. Tim. 3, 17. Rom. 15, 4. Proverb. 30, 5, 6. ψ. 19, 8. &
13. ψ. 29, 7, 8, 9. tum speciali effectuum recensione: hæc enim reli-
gio docet ignorantes, ψ. 19, 9. ψ. 119, 99. confutat contradicentes
Act. 6, 10. delectat auscultantes. Joh. 6, 68. efficaciter solatur mœ-
rentes ψ. 19, 93. & 94. convincit refragantes. Cuius rei illustris no-
bis exemplum præbet Philosophus argutissimus: quin non arte hu-
mana sed vi verbi divini persuadebatur, ut Christianam religio-
nem capesseret, videatur Hafenerrebus in L. de scriptura.

5. A miraculis quibus Christiana Religio fuit absignata. Argumen-
tor ita. Quæ dicitur in miraculis divinâ planè virtute editis con-
spicua est, illa est vera. Atqui Christiana Religio est talis. E. Ma-
jor probatur, quia Deus facit mirabilia solus ψ. 72, 18. quia Deus facit
mirabilia magna solus ψ. 136, 4. Minor demonstratur partim per mi-
racula, quæ à Mose & Prophetis, partim per ostenta N. T. quæ
tūm à Christo tūm ab Apostolis fuere edita. Inter quæ omnia
principem locum tēnent illa quæ immediate a Christo solo pro-
fessa sunt. Ille enim talia patravit, quæ à seculo nō sunt audita: Joh.
9, 32. talia opera fecit, que nemo aliud fecit. Joh. 3, 2. Joh. 15, 24. &c., quod
palmarium ego puto, id & duxi hæc omnia præstitit. Act. 3,
12.

At vero duplex occurrit circa Majorem difficultas. 1. Prima
Unde constet hæc miracula & suisse vere divina, & ad confirmationem do-
ctrinae Christi producta. Delio hic natatore opus est, seu potius
Christo duce, quo auspice de tantâ re sic habendum censeo.
1. Miracula hæc suisse non aliunde nisi à Deo orta evincitur. 1. ex
eorum eminentiâ & sublimitate. Talia enim illa sunt, ut humanæ
mentes ad ea obstupescant. Exemplorum instar est effatum populi
dicens. Quis est hic cuiusventus & mare obedient? Matth. 8, 20.
2. ex modo quo illa patrata sunt. Præstigiatorum filij, longo ap-
paratu præmisso, tandem aliquando aliquid proferunt, quod ad-
miratione dignum videatur. Contra Deus solo verbo Christus
prece, ad res maximas gerendas utitur: cuius rei documēta extant
ψ. 33, 9.

visibilem manifestationem, vel per Scripturæ testificationem. Sic ubi terræ ruptæ hiatus Coram cum asseclis absorpit, Domini gloria dicitur apparuisse Num. 16, 20. Sic maris rubri divisio tribuitur Deo. ψ. 78, 14. 4. Quia ipsi veritatis hostes talia miracula pro divinis haberunt. Hinc Magi per Mosen edita prodigia divina esse asseruerunt, cum faterentur hic inesse digitum Dei. Exod. 8, 19. Centurio ad Christi crucem consistens viso terræ motu dixit hic vere erat filius Dei Matth. 27, 54. Dionysius Areopagita cum patiente Christo in cruce, adspiceret Soli deficere lumen exclamasse dicitur. Aut Deus patitur, aut machina mundi dissolvetur. Ad Alterum questionis caput, nempe unde constet, edita esse hæc miracula ad fidei confirmationem. Respondemus, hoc patere i. ex exemplo Christi, qui probaturus unum fidei articulum, de sua incarnatione jam facta, ad miracula provocata se edita. Matth. ii. Idem esto de probatione reliquorum articulorum judicium.

2. A fine. Nam, cum Christi miracula idcirco consignata sint, ut credamus quod Iesus sit Christus ille Filius Dei, quid cogitare aliud possumus, quam in eius gratiam miracula facta esse, per quem siebant. Quod si prius de gloriâ Christi constat, non poterimus amplius dubitare de veritate universæ doctrinæ Christianæ, quæ hunc autorem habet. 2. Secundum dubium est, quid sit inter Divina & Diaboli prodigia discriminis? Non abs re hoc queritur, cum Antichristi adventus sit secundum operationem Satanae 2. Thess. 2, 9. cum certum sit pseudoprophetas surrecturos esse, datus signa & prodigia. Matth. 24. De tota autem re sic habendum. Discriben i. est D. & i. miracula sunt ex absoluta potestate DEI, qui, quicquid vult, facit Ps. 115, 3. & 135, 6. Diabolus non ex absoluta sed determinata à Deo permittente nec impediente potestate sua promitt miracula. Hinc ne quidem pulices Deo invito potest producere. Exod 8, 19. hinc Deo nolente Jobi corpus nullo pacto lacerare valuit. Job 1, 12. hinc sine Christi indulitu nequivit porcos invadere Matth. 8, 31. 2. Dei miracula sunt reipsa talia: Diaboli sunt meræ præstigia & ludibria. Quo pertinet historia de cœco

Sic
o-
ui-
ro
na
19.
hic
en-
sse
Ad
ni-
ex
ip-
n.

ta
re
per
te-
a-
vid
oe
ne
sg
e-
te
ex
o-
to
ul-
vit
a:
ria
co

de cœco & claudio à Vespasiano sanato, qui tamen non verè sed apparenter & oculorum & pedum usu fuerat privatus; teste Tacito lib. 4 hist. & Tertul. in Apol. c. 22. 3. Deus magna innumerāq; Psal. 72, 18. & Ps. 136, 4. Diabolus minima paucissimaq; admiratione digna opera producit, 4. Dei opera diriguntur ad sui ipsius gloriam hominumq; emolumentum; Diaboli fictitia miracula neq; D e i gloriam nec hominum juvant salutem, sed potius vel ad ambitionem & gloriam Diaboli ut Matth. 4, 8. vel ad oppugnandam veram doctrinam spectant, qualia sunt miracula Antichristi seu Papistica. 2. Thes. 2, 9.

6. Argumentum ducitur à constantia Martyrum. Argumentandi ratio hæc esto. Nam doctrinam innumerabiles omnis ordinis & sexus & ætatis homines (qui & Deo placendi veræq; religiosis cognoscendæ colendæq; incredibili cupiditate accensi, & singulari vitæ integritate conspicui) sic amplexi sunt, ut vitam ipsam amittere maluerint, quam eam, quam profitebantur doctrinam deserere, illa est vera religio. At de Christianâ Religione verum est prius. E. Major prorobatur 1. ex D e i providentia, quia cum homines ad eum finem creati sint à D e o , ut sibi vera religione atque cultu serviant, aut nullis omnino (quod incredibile est), aut illis maxime secundum rectissimam suæ providentia normam opitulari, ad eam rem putandus est, qui tam ardenter ipsi servire cupiunt, ut quo placerent illi, non modo sanctissimè vixerint, verum etiam (quod omnium maximum est) constantissimè mortem pro illo oppetteriverint. 2. Ex D e i bonitate & charitate erga homines. Nam quam esset ab illa alienum, in modo vero quam crudelè esset, permettere, atque pati, ut homines ea voluntate, eo studio religionis eo desiderio salutis, ea vitæ innocentia in negotio summo, quod ad salutem æternam spectat, fallerentur, ac vitam etiam sine utilitate prodigerent! Hoc certè nemo qui modo convenienter rationi judicet, persuadere sibi possit de D e o , siquidem eum & sapientem & providum & clementem & nostri amantissimum esse illa cognitionis luce, quæ mentibus nostris est innata, compertum omnes habemus. Minoris robur consistit in longa serie eorum, qui pro veritate religionis Christianæ nullum ne vel vitæ discrimen adire dubitarunt. Talis erat Eleazar

C

2 Mac,

2. Mac. 6, 18. 19. &c 27. Tales erant septem illi fratres, quorum
mentio sit 2. Mac. 6, 2. 7. 10. 13. 15. 18. 24. Tales deniq; fuerunt omnes
isti qui martyrii laude cohonestantur. in Epistola ad Hebr. cap. II.
36. 37. 38.

7. Ult. 7. Ultimum idq; firmissimum est desumptum ab interno Spiriti-
tus Sancti Testimonio. Syllogismus hinc formatur talis. Quam re-
ligionem Spiritus Sanctus in cordibus fidelium testatur esse ve-
ram, ea sola est vera Religio Christianam Religionem Spiritus
Sanctus in cordibus fidelibus testatur esse veram E. Christiana
Religio est vera Religio. Major licet probatione vix egeat con-
firmari tamen potest appellationibus & attributis Spiritus & q*ui*
est Spiritus veritatis Joh. 15, 26. & 16. v. 13. 1. Joh. 4, 6. Spiritus firmus &
stabilis Ps. 51. 12. Cujus testimonium omni humana testificatione certius ac
majus. 1. Joh. 5, 8 & 9. Minor patescit tum ex Scripturæ, tum ex Pa-
trum testimonio Spir. S. dicit nos in omnem veritatem Joh 16, 13. Spir-
itus testatur, quod Spiritus fit veritas, id est, quod doctrina à Spiritu
Sancto profecta sit immota veritas, 1. Joh. 5, 7. Ex Patribus in-
ventus est Dionysius : c. 7. de divinis nominibus scribit; Novit
is, qui veritati conjunctus est, quam bene se habeat, etiam si plures illum
coripiunt, quasi amentem & extra se factum. Per intemeratam enim si-
dem extra se fit, et a singulo patitur. Porro nevit seipsum veraciter non quod
illi ajunt, infanire, sed ab instabili atq*ue* variabili circa latissimam erroris
varietatem motu per simplicem & semper se eodem modo habentem veri-
tatem evasisse liberum. Porro tota hæc res videtur illustrari posse:
1. certitudine precum nostrarum exauditarum, quæ testem habet
piarum conscientiam, ut patet ex Ps 10, 17. 2. certitudine ado-
ptionis nostra. Spiritus enim Sanctus perhibet testimonium Spiritui no-
stro, nos esse Filii DEI Rom. 8, 16. 3. certitudine vitæ æternæ propter
Christum nobis donandæ. Scimus namq*ue* in quem credimus; & certi-
sumus, quia potens est depositum nostrum servare in illum diem 2. Tim. 1,
13. per quem autem hoc depositum servetur, additur seq. vers.
Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. Uti
autem de precibus exauditis, de adoptione nostra, de vitâ æternâ
certiores nos facit internum Spiritus Sancti testimonium, sic
quoque se res habet in cognoscenda Christianæ doctrinæ certitu-
dine, quæ non tantoperè externo atque interno teste firmatur.
Cœlestum

Cœterum hoc internum testimonium frustra exspectatur, extra Scripturas: neque enim acquiritur, per raptus Enthusiasticos, seu clandestinam, quæ sit tremoris arbitris, inspirationem: lectione, meditacione, auscultatione Scripturarū ad hanc rem cumprimis est opus, absque quā si siet, oleum & opera perditur Es. 8, 19. & 20. Atque hæc sunt fere potissima, quibus Religionis Christianæ certitudo comprobatur argumenta, quæ tamē non separatim sed coniunctim sumi & ad præsens institutum applicari debent. Summa autem argumentorum omnium comprehenditur hoc Syllogismo. Illa Religio (1) cujus datus planè divina persuasio, (2) quæ & dogmata cognitu difficultima & vaticinia de rebus futuris certo exitu cōprobata complectitur: (3) cujus exacta est harmonia & admiranda perfectio, (4) cujus doctrinæ est ingens vis & efficacia, (5) quæ tantis, tamq; stupendis miraculis est confirmata, (6) pro qua martyres supplicia quoque crudelissima adire non reuocarunt (7) quam Spiritus Sanctus in cordibus fidelium testatur esse veram, ea demum est vere Religio. Religioni Christianæ competunt septem prius enumera requisita. E. Atque siæ de Theoremate 4.

THEOREMA V.

*Christianæ Religio ab aliis certis differt variis modis preciis
pùe autem Auro bore, materia, formâ, fine, attributis & effectis.*

Differt Christiana Religio ab aliis seculis his cumprimis modis, 1. Autore veræ Religionis causa prima est Deus 2. Petr. 1, 3. Propterea divina vis ipsius omnia nobis donavit. que ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam at virtutem. Falsa Religionis causa Internæ, 1. Humana ratio per lapsum depravata, 2. Scripturarum ac potentiarum divinarum ignorantia Matth. 22, 29. 3. Veritatis fastidium 2. Thes. 2, 10. 2. Tim. 4, 3. Externa est Diabolus, Jac. 3, 15. Non est ista sapientia supernæ descendens: sed terrena animalis dæmoniaca, 2. Cor. 4, 4. 2. Cor. 11, 2. & 3. 2. Materia vera Religio habet legem DEI & Evangelium integrum. Falsa nihil horum habet, sed quicquid ex Scripturis habet, id multis modis corrumpt: multa etiam rerum divinatum ignorat. 3. Forma vera Religio colit DEUM eo modo qui verbo DEI est præscriptus. Falsa vel fingit alium DEUM ab eo, qui se in verbo suo

mani-

manifestavit vel verum non eo quo par erat modo veneratur Rom. 1,28. 4. Fine, Christianæ Religionis finis est vel Universalis. gloria DEI 1. Cor. 10,31. Col. 3,17. 1. Pet. 4,11. vel Particularis, ut converteretur homines à tenebris ad lucem à potestate Sathanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctos accipiant per fidem, operas facientes digna iis, qui resipuerunt, Act. 26,17. Falsa universalis finis est Dei ignominia. Particularis 1. Ingenii ostentatio qualis fuit in Arrio, Honorum temporalium præ aeternis gaudiis electio cuius rei exemplum erat in Pharisæis Joh 11, 43. 5. Atributū Religio vera est, una divina perfecta, sancta, necessaria, utilissima, antiquissima, firma & semper durans spontanea catholica. In falsa Religione hæc serè omnia se contra habent. 6. Effectis, Christiana Religio digitos quasi habet, id est, maximam vim, tum ad convertendos Ethnicos, Testis est unus instar omnium Rex Agrippa, apud quem tantum ponderis unica Pauli concio habuit, ut ipse parvus abesse fateretur, quin à Paulo persuasus Christianam amplectetur religionem Actor. 26,28. Tum ad avocandos à tristitia hominum animos, quos summis delibitos reddit gaudiis. Psal. 119,14. & v. 162. Atque hæc sunt præcipua discrimina inter veram & falsam Religionem. Illa autem accurate neantur necesse est. 1. Ob veræ Religionis confirmationem, Vera enim Religio Autorem materiam formam, finem & effectum habet insignem. In falsa nihil tale deprehenditur. 2. Falsa discretionem & rejectionem Nam cum jubeamur dñi ipso. tu m' dñe, 1. Joh. 4, v. 1. quo tandem pacto hic delectus debito habebitur modo, si hoc discriminne negligatur?

Conclusio.

DEO PATRI FILIO & SPIRITU SANCTO gratias agimus immortales, quod Religionis Christianæ lucem; nobis indulserit eundem devoto pectore rogamus, hanc veram Religionem à Christo ipso propositam & per Apostolos propagatam, & pud nos illibatam conservare dignetur, quo ipsum recte agnoscamus & colamus, & tandem vitam consequamur aeternam., Amen.


FINIS.

05 A 948



VD-77

81



IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,
DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
Generatim consideratis.

DISPUTATIO II.

De
**RELIGIONE
CHRISTIANA, QUOD
ILLA SOLA SIT VERA ET
CAPESSENDA.**

*Quam
ALTISSIMO ADSPIRANTE
Sub
PRÆSIDIO*

**BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Th. D. & Profess. publ.**

*Placidâ o[mn]i thô ventilandam exhibet
CHRISTIANUS KÖCKERT,
Lübencens. Saxo.*

*Ad diem 10. Augusti horis pomeridianis,
in Auditorio minori.*

WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M. DC XXV.*